

64 suimus, ergo statim ac merito, lectis Sanctitatis Vestrae litteris Deo omnipotenti gratias agi per omnia verbis templa jussimus; publice quidem ab omnibus, privatum vero a nobis missa solemni in Ecclesia Beatæ Mariæ de Populo omni cum veneratione celebranda. Nec ab humanis et popularibus officiis temperavimus, sed lætitiam publicam ignibus de more accensis et bombis excussis tum, arx pontificia tum nostræ familæ civesque Romani testati sunt. Legatos vero nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiae cardinales, qui in nostra congregatione tum aderant, ad iter extimulavimus atque accendimus; parteque alia non solum quas Sanctitas Vestra ordinavit triremes suas et galeonem, qui in Ethuria litoribus nunc sunt quam propere solvi et ad Sanctitatem Vestram deduci jussimus, idque Reverendissimum Vicecancelarium Florentie agentem curate nomine Sanctitatis Vestrae hortali fuimus, sed etiam ab illustrissimo oratore Cæsareæ Majestatis summopere petimus, ut ejusdem Majestatis et nostro imo Sanctitatis Vestrae intuitu, classem neapolitanam protegatis ad Sanctitatem Vestram deducendis, indeque Sanctitate Vestra ad nos ducenda non sine aliqua nostra gratitudine accomodaret; sed quoniam idem illustrissimus orator se dicta classe ad tutelam sui marii contra pyratas indigere respondit, et triremes Sanctitatis Vestrae tam quassas et exarmatas audi mus ut nisi cum multa tarditate (quæ huic negotio valde inimica) mari comitti non possint, videmus simul dolemusque Legatorum nostrorum discessum, qui ante hac ob illa quæ supra diximus impedimenta retardatus est, nunc ob difficultate navigatorum retardari, ac parum aut nihil spei hoc tempore Vestrae Sanctitatis in classibus italicis reponendum, sed Hispanicis pro celeritate et importantia rei utendum. Legati quidem nostri nobis præcipue urgentibus navigia nihilo segnus conquerunt, nihil ad expeditionem omittunt, seque et suos jam præpararunt, sed difficiorem videmus hujus rei expeditionem, quod quum piratæ maria semper, vere autem maxime in festent, et turcarum in Hungaria successibus elati, nunc ferantur audacieores, quisquæ suas triremes ob bellum quoque in Italia vigens habere vult præsidio. Terram autem Legatos venire qui viarum discrimina ac præterea multa dissuadeant longitudo, certe itineris et more detrimentum, ac tarditas maxime dissudent. Itaque quum mora non mensium modo, sed dierum sed horarum mirabile et incredibile detrimentum Urbi, curiae, populis totique christianitati ex absentia Sanctitatis Vestrae importet. Nec tam tum verbis dicere animoque concipere possimus,

qui longe majus sit damnum atque periculum quod dicimus, sicut et Sanctitas Vestra, quum hic fuerit verum suisse fatebitur adprendit. Idecirco ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, illam nostro nomine ac suæ sponsæ Romanæ Ecclesiae pulque romani ejus fidelissimi, totiusque ecclesiasti status rogamus, et per Christi charitatem obsecramus, ut quam primum Sanctitas Vestra commode et tuto poterit, etiam Legatis nostris et triremibus non expetatis, sua cum classe quam ille in Hispania scimus non defutura iter felicissimum et toti Europæ utilissimum ineat, et in aquis Italæ litus appellat. Simul enim hoc audierimus, nam illuc solum nostri Legatis si nondum ad illam pervenirent, ed magna nostri Collegi pars, et (si proximum Urbi fuerit) etiam totum Collegium nostrum cum multitudine populi et cleri reverenter ac lætanter occurret, nullumque a nobis pro nostro debito officii honoris reverentiae genus erga nostrum pastorem omitetur. Quod si Sanctitas Vestra nostros Legatos in Ispania expectare vellet, qui vel terra ab itineris longitudine, vel mari ob navigatorum difficultate tardissime ad illam venturi sunt, profecto tam perniciosa hæc esset universis Christi fidelibus mora, ut non plus boni et laudis nostra electio habuisse videretur ob Sanctitatis Vestrae probitatem, quam mali et vituperationis ob hanc tarditatem. Præterea longior va-
65 catio Sedis temporumque et rerum conditio suadent ut Sanctitas Vestra, quæ se humanissimam tum verbis tum factis ostendit, humanitate et charitate in hoc quoque utatur, ut ad sponsam suam ipse præcurret, et tot scandalum quot per suam absentiā in Ecclesie Statu haec tenus acciderunt et accidere in dies possunt, sua præsentia acceleritate medeat. Roma est, Pater Beatissime, quam Sanctitas Vestra petit hoc est sua vera sedes suaque sponsa, tum domicilium martirum Christi, colonia, emporium sanctorum, hunc quæsumus Sanctitas Vestra honorem beatis Petro et Paulo apostolis tribuat, ut ad ossa eorum veneranda quin properet nihil more censeat interponendum; hoc a Sanctitate Vestra maximum munus et beneficium omnes ejus populi, cuncta Italia, universus clerus quin etiam ipsa sancta Religio quam impii Thureæ, Hungariæ iminentes abolere nituntur, supplices nobiscum expostulant. Interim vero nos, sicuti pro nostro antea officio, ita pro Sanctitatis Vestrae mandatis justitiae, paci, tranquillati, Urbis, et curiae populorumque omnium ecclesiasticorum quoad poterimus intendemus, et pro felici Sanctitatis Vestrae in Italianam appulso ac securitate classis Christi Vicarium vehentis